



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

ragiosus & contaminatus est, odorata suffimenta substituuntur, vt aërem instaurent, nec minus aquis irrorando, cinnamomū, garyophyllos, ciperum, xilalocni molchum, & ambarū. Ideo prisca ad hoc vsq; nostrum æuum se propagauit consuetudo, retinentq; hoc mulieres, si noxam pueros cōtraxisse vident, ad expiandos ethure eos suffumigant, & circumuoluunt; claro seruentur aere, ij pendeant è collo lapides, carbunculus, iacincthus, saphirus. Alissum in domo suspēsū, rhamnū, & phu opiferum putat amuletum Dioscorides: hyssopus & liliū odorato, annulus deferatur ex onagri, vel alini domestici vngula, satyrion, quæ orchis & fœmina dicitur. Rutam suo odore probat Aristoteles. Hæc omnia veneficiorum vires hebetant.



IO. BAPTISTÆ
PORTÆ NEAPOLITANI,
MAGIÆ NATVRALIS
LIBER NONVS,

Qui mulieres fucat, & mangonizat.

PROOEMIUM.

QUVM medicinam cosmetica consequatur, post illam de fucus, muliebribus ornamentis à capite vsq; ad pedes quamplurima prosequemur. Sed ne aliquibus superuacuum videretur his libris ea interponere, quæ ad mulierum decorem pertinent; optaremus consider

considerarent, non hac nos scripsisse, vt genio & luxuria indulgerent, sed quum auctor vniuersitatis Deus rerum naturas singulas perpetuo subsistere quæreret, masculum & foeminam procreauit, vt foecunda propagatione nunquam desisteret futura soboles, & vt ad generationis actus mas cōpelleretur, foeminam mollem, delicatam, & pulchram formauit, vt horum illicijs, quasi coactus sollicitaretur. Nos igitur, vt coniuges suis viris placeant, & ne cōiugum deformitate offensi, ad alienum cubile diuertantur, mulieribus consulimus, quomodo forma lenocinio, & mangonio, si nigras, squamosas, foedas, & deformes esse pudeat, albae, leues, fluae, & pulcherrimae efficiantur. Aliqua, quae ex antiquorum scriptis meliora videbantur, experti sumus, & huc adduximus, praestantiora nostra, & neotericorum inuenta, nondum literis mandata, postremo addemus. Et primo à capillis incipiemus.

Flauis, vel aurei capilli quomodo tingantur.

C A P. I.

QVVM singulare mulierum studium sit capillos ornare, mox faciem: primo capillos, mox faciem decorabimus. Capillum enim maximū humani corporis ornamentum existimant, vt si ipsum tollatur, tota pulchritudo flacceat, eoq; praestantiorem existimant, quo flauentior, nitentior, fulgoreq; radiantior, considerata sunt ad id opus, quae maxime flaua, & quae capiti non obsint, vt pleraq; sunt, imo eligenda quae conferunt. Sed antequam tingas,

Preparatio capillorum

docenda est, vt habiles sint ad tincturam recipiendam. Albi vini fecibus tantum mellis adiectum sit, quatenus tenerescant, & strigmenti modo coeant; hoc illino